ita in libro paralipomenon scribitur. Mansit ergo archa dei in domo obededom.
tribus mensibus. et benedixit dominus domui eius et omnibus que habebat. Et alibi in eodem li
bro paralipomenon dicitur. Filii autem obededom semeias primogenitus. iohadab
secundus. ioaha tertius. sachar quartus. et cetera. Igitur michol filie saul non est natus filius
usque ad diem mortis eius. Michol ipsa est egla. Hec genuit david getraam. cuius
partu occubuit. Dixitque nathan ad regem. Omne quod est in corde tuo fac.
quia deus tecum est. hoc enim nathan ex se non ex sermone domini dixit ad david. illud
vero quod sequitur ex sermone domini dixit. Hec dicit dominus. Numquid tu edificabis mihi
domum ad habitandum. Ac si diceret. Non poteris mihi domum edificare. quia vir
sanguinum es. et multum sanguinem effudisti. Neque enim habitavi in do
mo. ex die qua eduxi filios israhel de terra egipti. usque ad diem hanc. sed habi
tabam in tabernaculo et tentorio. Ambulasse se dicit dominus in tabernaculo et
in tentorio. quia nec moyses. nec iosue potuerunt edificare domum. eo
quod viri fuerint sanguinum. sicut et david. Per cuncta loca que transivi cum omnibus
filiis israhel. numquid loquens locutus sum ad unam tribum israhel. cui precepi ut pa
sceret populum meum israhel dicens. quare non edificastis mihi domum cedrinam. Hec lo
ca per que transisse dominus dicit. intelligenda sunt silo. et galgala. et nobe. et cetera lo
ca. in quibus tabernaculum et archa domini collocata fuit. Numquid loquens locutus sum
alicui iudici de tribubus israhel. cui precepi. ut pasceret populum meum israhel. et ce
tera. Idcirco a nullo iudicum edificari sibi domum cedrinam iussit. quia ab
omnibus pugnatum contra hostes fuit. et omnes fuderunt sanguinem. filius tuus
cui non instabit bella hostium. et qui non erit vir sanguinum. ipse edificabit
mihi domum. Et nunc hec dices servo meo david. Hec dicit dominus exercituum.
Ego tuli te de pascuis sequentem greges. et post pauca. Fecique tibi nomen. iuxta no
men magnorum. qui sunt in terra. Feci inquit dominus tibi nomen grande. sicut feci abra
ham. ysaac. et iacob. et moysi. et iosue. quorum nomina famosissima sunt in ter
ra. Et ponam locum populo meo israhel. et plantabo eum. et habitabo sub eo.
Hoc in loco tempus salomonis sermo describit divinus. quo filii israhel pacem erant
habituri per circuitum. et non erant affligendi. et opprimendi. sicut tempore iudicum
fuerunt oppressi. et afflicti. Qui si iniquum aliquid gesserit. arguam eum in virga
virorum. et in plaga filiorum hominum. Virgam virorum. gladium vocat in
imicorum. plage vero filiorum hominum. sunt incommoditates corporum huma
norum. quibus pro peccatis suis a domino homines merito flagellantur. Ista est lex
adam domine deus. hoc est lex hominis est domine deus. ut tibi in simplicitate cordis: